B. N. C.
FIRENZE
822
3

Digitized by Google

3
822.3
AI.1

IVDICI VM

D. Martini LVTHERI, de ERASMO Roterodamo.

PHILIPPI Melanchthonis de Eraſmo, & Luthero ELOGION.

RATIO diſcendi, per eundem tradita.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

Eiuſdem, Quo iudicio Auguſtinus, Ambroſius, Origenes, ac reliqui DOCTORES le[illegible]

D. Martini LVTH[illegible] [illegible]olfg[illegible] Fabritium [illegible] P[illegible] he[illegible] [illegible]

522.3

IVDICIVM D. M. LVTHERI De Eraſmo Roterodamo, ad Amicum.

GRATIAM ET PACEM in Chriſto. Literas tuas nouiſſimas lætus accepi, uir optime, quod ſentiam te egregie ſentire, & promoueri in conditione rei chriſtianę. Et opto, orocꝫ, ut Dominus q̃d incepit, perficiat. Sæuitiam iſtam apud uos regnantem aduerſus Chriſtum, dolens audio. Sed erit, ut aut ipſe Princeps mutet ſpõte furorem, aut alius mutabit inuito, & breui. De prędeſtinatiõe uero ſentire Moſellanum cum Eraſmo, antea noui. Totus enim Eraſmianus eſt. Ego contra ſentio, Eraſmum minus de Prædeſtinatione ſcire, uel ſcire ſeſe oſtentare, quam hactenus Sophiſtarũ ſcholę ſciuerunt. Necꝫ eſt ut timeam caſurum me, niſi mutem ſentẽtiam. Non eſt Eraſmus in hac re formidabilis, ſicut necꝫ in ſumma ferme tota rerũ chriſtianarum. Potentior eſt ueritas, quam eloquentia, potior ſpiritus, quam ingenium, maior fides quam eruditio. Et ut Paulus ait. Stultum dei, ſapientius eſt hominibus. Ciceronis eloquentia, ſępius ſuperata eſt minore eloquẽtia in iudicijs fori. Iulianus eloquentior eſt Auguſtino. In ſumma, uictoria eſt penes

Prædeſtinatio.

j.Cor.j.

balbutientē ueritatem, non apud mēdacem eloquen-
Pſal. viij. tiam. ſicut ſcriptum eſt. Ex ore infantiū & lactentium
perfeciſti uirtutem, ut deſtruas inimicum & ultorem.
Non prouocabo Eraſmum: ſed neq; prouocatus ſe-
mel ac iterum, mox referiam. Tamen non uidetur mi
hi conſultum, ut uires eloquētiæ ſuæ in me inſtituat.
Metuo enim, non inueniet in LVTHERO Fabrum
Stapulenſem, neq; poſſit gloriari ſicut de illo gloria-
tur. Omnes gratulantur mihi, uictum eſſe Gallum.
Quod ſi ſe cōmiſerit huic aleæ, uidebit Chriſtum nec
portas inferi, nec poteſtates aeris formidantē. Et oc-
curram balbutientiſſimus, eloquētiſſimo Eraſmo cū
fiducia, nihili etiā habita eius authoritate, nomine, &
fauore. Ego noui quid ſit in hoc homine, Quando-
quidem & ſatanæ cogitationes nouerimus. Quanq;
expecto, ut indies magis reuelet id quod in me alit.
Hæc uerboſius tecū ago, ut habeas quo nihil pro me
aut ſollicitus ſis, aut timeas; neq; ampullis magnificis
Moſellanus. aliorum terrearis. Salutabis autem Moſellanū. Neq;
ideo alienus ſum ab eo, quod Eraſmi magis quā mea
ſectetur. Immo dicito ei, ut ſit fortiter Eraſmianus.
Erit tempus, cum aliter ſentiet. Interim & feren-
dus optimi animi ſenſus infirmior. Et tu
quoq; in domino uale. Vuitten-
bergæ. M. D. XXII.
feria quarta poſt
Vrbani.

PHILIPPI MELANCHTHONIS, de Luthero, & Eraſmo, Elogion.

IN REBVS THEOLOGICIS DVO POTISſimum requirimus. Alterū, quo nos conſolemur *Lutherus* aduerſus mortem, & iudicium dei. Quoq; animum erigamus aduerſus omnes inſidias satanæ, aduerſum uim portarum infernarum. Ea demum uera, euangelica, & chriſtiana prędicatio eſt, ignota mundo, & omni rationi humanæ. Hanc profitetur LVTHERVS. Et hæc iuſtitia cordis eſt, quæ poſtea bona opera parit. Hanc qui in ſcripturis legendis ſequitur, facile intelliget multa myſteria ſcripturę. Alterum, boni mores, ciuilitas. *Eraſmus.* Hæc fere ERASMVS docet: ſed & gentiles philoſophi docuere. At quid quęſo, cum philoſophis Chriſto? Aut ſpiritui dei, cum cęca ratione hominum? Qui hoc genus ſequuntur, charitatem quidem docent, ſed fidem non docēt. Porro, niſi ex fide dimanet charitas, ea iam φαρισαϊσμος eſt, fucus eſt, non charitas. Quanq; equidem Eraſmum nihil dubitarim, ueteribus omnibus præferre.

Vuittenbergę in Saxonib.
Anno ſalutis &c. xxij.

RATIO DISCENDI PER PHILIPpum Melan. Vuittenbergę tradita.

INSTITVERAM EQVIDEM DE RATIone diſcēdi copioſe pręfari, ſed in tam uarijs occupa-

tionibus nõ licuit abſoluere quod deſtinaram. Nunc breuiter ſententiã meam de STVDIIS uobis exponam, nullo qdẽ rhetorico adparatu, ſed optima fide. Quod ſi ratio uobis uel uitę ueſtrę, uel ſtudiorũ conſtaret, nihil hac oratione mea opus eſſet. Nunc cum plęriq; ad Academias ſe conferant, nullam aliam ob cauſsam, niſi ut annos, rem familiarem, animam miſere perdant, alij bono conſilio huc ſe conferant, ſed incerti uagentur, nec habeant quid in diſcendo ſequantur, uiſum eſt, nonnihil de ratione diſcendi dicere. Ac primum quidem ualere ſinam eos, quibus literæ ſordent, quibus ſatis magna ſtultitia, pœna ipſa eſt ſtultitia. Cum ſanioribus mihi res eſt, quibus uideo oportere pręſcribi rationem quandam certam, quam in diſcendo ſequantur. Nam ut in ſtadio qui curſu certant ſpacia lineis definiunt, ne qua euagẽt imprudenter. Ita omnium in omni genere uitę, tum maxime in ſtudijs literarum, pręſtandum cenſeo, ut certum ſtudiorum finem nobis ſtatuamus, ad quem interim omnes animi cogitationes, omnia genera ſtudiorum dirigantur: & prudẽter conſyderemus, quid uię deligamus, ne iaculemur (ut Gręci dicunt) ſine ſcopo. An non uidetis, quã ſollicite caueant fœneratores, ne quem terunciũ, aut ſi quid hoc uilius eſt expendant, unde non redeat fœnus? Nos tot cœleſtes dotes, ætatẽ alioqui fugaciſsimam, ſic collocabimus, ut ne ſors quidem ad nos redeat? Quid, quod male geſtæ rei ratio domino

Comparatio.

Adaptatio.

reddenda eſt? Qui nobis hunc animum, ſui particulã, qui uitam, qui ingenia, qui uictũ credidit, literas oſtẽdit, quas uelut conductitij agricolæ aliquantiſper coleremus. Quid enim aliud ſumus, quã alienæ rei procuratores? Primum itaq; de fructu ſtudiorum dicam: unde intelligas, quid cur debeas deligere. Qui ſacra ignorauerunt quondã, neceſſarias ſibi literas eſſe putabant. ut rudia & fera ingenia huiuſmodi cultu nonnihil manſueſcerent. Honeſti ſpeciem, teneræ & imbecillæ ætati, quæ ipſa per ſeſe non ſapit, putauerunt in literis exhibendã eſſe, unde animus admiratiõe quadam recti accenſus, coerceret quatenus fieri poſſet, feruẽtes cupiditates. Parum humani putabantur, qui nihil deguſtaſsent literarum. Nam inde uſuuenit, ut Rhomani pro παιδεία, hoc eſt, eruditione, humanitatem dicerent: laude ueterum conſilium. Nam fere ita ſit, ut quo quiſq; eruditior eſt, eo ſit & humanior, & tractabilior. Scitis, quales finxerint quondam Muſas poetæ, plenas humanitatis & elegantia. Nimirum, quod ſentirent hanc uim eſſe literarũ, ut animos barbaros molliret. Nondum de pietate dico, ſed de ethnicorum ſtudijs loquor. In quibus tamen quam multos reperias, his qui nunc falſo prętextu pietatis, omneis bonas literas, omnẽ humanitatẽ contemnũt, magis feri quam ulli urſi, magis impij quam ulli unquam Turchæ epicurei. Quid ſenſerint quondam illi, audiſtis: Nũc quæ cauſsæ chriſtianam iuuentutem mo

uere merito debeant, ad deguſtandas literas.

Stu. liñ. literarum ſacrarum. Non dubium eſt, quin ſacræ literę in hoc ſint proditæ diuinitus, ut earũ adminiculo immortalitas nobis pararetur. Quapropter qui has negligunt, uideri poſſunt etiam in ſe crudeles eſse, ut qui certũ iter ad immortalitatẽ ingredi nolint. Quoſdam glorię amor, quoſdam ſpes magnarum opum inuitauit ad literas: quanto magis nos inuitent æterna præmia. Sed ad ſacras quis aditus eſt? Videmus has infeliciter tractatas ſeculo ſuperiore. At quam ob cauſsam? Nimirum inſcitiam literarum, & elegãtioris eruditionis. Nunc cum refloreſcunt elegantiores literę, iterum ſe oſtendunt linguæ, uidemur inſanire, niſi grato pectore, & q̃d Græci dicunt, ἀμφοῖν χεροῖν tantas diuitias excipiamus. Et ut ne ignoretis, cœleſtes demum linguę ac literæ ſunt. Vt quondam cum Euangelium eſset in uniuerſum orbem propagandũ, linguis Apoſtoli donati ſunt. Ita nunc, cum renaſcitur Euangeliũ, ſimul illæ reſtituuntur: quarum adminiculo Euangeliũ diſcamus. Quo magis miror, etiam in hac urbe eſſe quoſdã parum æquos Theologiæ, quod ſtudia humanitatis opprimi uideantur. Quaſi uero, non illã ipſam eleganti orem literaturam Euangelio debeant.

Habetis, quæ cauſsa pios neceſſario ad diſcendas literas ac linguas adhortetur. Nunc ſupereſt, ut indicem, qua uia diſcendæ ſint.

Indicarunt illam docti homines quidam, & in pri

mis ERASMVS in eo commentariolo quem de rati-
one diſcēdi inſcriptum edidit. Quem uolo ut iterum
atq; iterū relegatis. De mea interim ſententia dicam.
Plane neceſſariū eſſe iudico, ut in literis humanioribꝰ
eo cōtendamus euadere, ut latina lingua (quādo hac
fere dicendo, ſcribendoq; utimur) pure loqui & ſcri-
bere poſſimus. Confuſanea quædā res, barbaries eſt, ,,
& nihil ſibi conſtans. Quare niſi certam loquēdi, ſcri- ,,
bendiq; rationem teneas, ne a te quidem recte intelli- ,,
gi poſſis: tantum abeſt, ut poſteros intellecturos ſpe-
res. Niſi quis putet, intra uentum omnes fuiſſe, qui
Scoti, uel ſimilis authoris uerba & φράσιν (non enim
nunc de rebus loquor) intelligeret. Neq; uero quiſq;
arbitret̃ ſe, relectis duabus paginis Terentij, iam con-
ſecutum eſſe dicendi facultatem. Multa lectione, mul ,,
to uſu ſcribendi & dicendi, multo exercitio ſtili, uix ,,
tandem queas conſequi, ut propere loquaris. Exerce ,,
bat etiam ſuperior ętas iuuentutem, ſed parum ſtren-
nue. Ita factum eſt, ut interierit eloquētia. Nunc cum
illam reſtituerit DEVS, modis omnibus, diuinū mu-
nus tueamur. Collapſa illa quondam, quantam ruinā
traxerit, non ignoratis. Theologia, Pietas ſimul ceci-
dere. Quam ſi conſeruatā uolumus, ut debemus, agi-
te, operam demus, ne intercidat eloquentia. Non hoc
iubeo, ut pręter prophanos authores nihil attingatis,
ſed coniungi uolo ſtudia eloquentię cum ſacris. ut al-
terum alteri uel ornamento, uel auxilio ſit. Tam nec

latinę literę penitus ſine gręcis agnoſci poſſunt. Propterea poſtulo, ut ſucciſiuas tantum horas Gręcis diſcendis impertiatis. Nam qui in ſacras literas, incultis adhuc & rudibus ingenijs, necdum ullo pręditis iudicio, irruunt, quid aliud ponent, quam nouas Scotos, & Thomas? Prudenter monuerunt, qui ſacra monuerũt attingi illotis manibus. Ego uero necꝫ barbaris iſtis ingenijs ſordidari tam precioſam margaritã uolo. Scio ſpiritus requiri ad tractationem ſacrarum literarum, non linguas tantũ. Sed altera poſcit opem res alterius, & cõmutat amice. Et linguas & ſpiritus exigo. Et Paulus exigit, ut linguis loquantur, & prophetẽt. Proinde quam poſſum uos ſancte obteſtor, ut ad literas tum latinas, tum gręcas diſcẽdas accõmodetis animos: niſi omnem operam & impenſam etiam in ſacris perdere uultis. Equidem necꝫ ſacrarum, necꝫ humanarum literarum prorſus ignarus uos moneo, qui plus ualituram ſpero hanc orationem meam. Hactenus de ſacris tantum dixi. Reſtat, ut de re medica, & alijs quibuſdam artibus dicam.

Anno &c.xxij.

PHILippus Melanchthon amico. S. D.

QVOD VVITTENBERGA DISCEDENTI tibi, cenſuram in Aurelij Auguſtini libros non dederim, quanꝗ cauſſari non omnino temere occupationes meas poſſem, tamen fateri culpam malo. nempe apud amicũ, cum delatũ officiũ præſtari nunc quoꝗ

poſſit pari cõmodo. Libenter gratificor tibi, non mo‑
do amico tali, ſed & quia de rebus chriſtianis interpel
lor. Mirifice namq́ gaudeo, te ſyncerã Theologiã uel
tandem aliqua ex parte deguſtaſſe: quæ quo magis
promouet, eo magis dulceſcit. Certe fieri non poteſt, „
quin primum offendat animũ, carnali illa ſophiſtarũ „
doctrina correptũ, hæc ſpiritualis philoſophia, quod „
(ut Paulus ait) nõ ſentiat animalis homo quę ſunt ſpi‑ „ 1. Cor. 2.
ritus. Sed amurcæ radices ſunt fructus dulces. Quid
enim amabilius, quam Chriſti cognitio? Quid ſuaui‑
us, quam Euangelij myſterium, paciſq́, & tranquillã
omniũ mentiũ ſeu conſcientiarũ rationẽ noſſe? Quæ
quam non pręſtet iſta Sophiſtarũ θεολογία, non igno‑
ras. Modo perſiſte. Erunt eñ, quę te ab inſtituto auel
lere conabuntur, uariæ diaboli inſidiæ. Et aliquando
tecum ipſe luctaberis, donec ſenſum carnis euincas.
Neq́ enim felicius diſcere queas, quã ubi te animi tui
conflictatio erudierit. Sic eñ docet SPIRITVS. No „
ſtram Theologiã uidentur adiuuare nulli neq́ neote „
ricorũ, neq́ ueterũ ſcriptorum, præter Auguſtinũ, & „
pauculos Gręcos. Origenes nimium philoſophatur. „
Hieronymus ne in dialogis quidẽ, aut Pauli cõmenta „
rijs adſequutus eſt Pauli ſententiam. Quare nullum
feceris magis operę preciũ, quam ubi te ad ipſos fon‑
tes, ad ipſam ſcripturã contuleris. Noſtra methados,
quã pręfiximus, Paulinę epiſtolę ad Ro. dictatã ſcho‑ Epiſtola
lis noſtris, certe uiam tibi indicabit, ſi uoles uti. Mire ad Rom.

cupio ſcire, quid Theologorũ grçcorũ habeat biblio-pola ueſter Colurgius. Nam impenſe cupio, in lucem edi, ſi qui digni ſunt qui legantur. Si potes, quçſo, no-menclaturam eorum ad me mitte. Vale feliciter.

Idem PHIL. MEL. quo nam iudicio legendi Authores.

ORIGENEM, Ambroſium, Hieronymum cum iu dicio lege. Sunt enim in eis non parũ multa quę Apo ſtolicę doctrinę uidentur aduerſari. Certe ſententiam Pauli ac Prophetarũ, Hieronymus non eſt adſequu-tus. Cyprianus, & Hylarius paulo his ſunt ſolidiores: & in cauſsa gratię certę, Cyprianum non aſpernandũ puto. ſed & ipſe non raro ſcripturas torquet.

Locus Hierony.

Veterum ac nouorum (mihi crede) pauci fuere, qui Legis & Gratiæ diſcrimen proprie intellexerint, & iuxta Pauli ſententiam tractarint.

Lex. Gratia.

Auguſtinus in diſputatione de gratia, hoc tm̃ agit,
" & cõtra Pelagiũ, non poſse ſine ſpirituſancto a nobis
" fieri bonũ opus. hoc eſt, nihil eſse ullas naturæ, mora-
" les, ſeu philoſophicas uirtutes: & earũ opa plane pec-
" cata eſſe. Et hęc certe diligenter probat in ijs libris.

In Sexta parte.

De peccatorum meritis & remiſſione.
De ſpiritu & litera.
De natura & gratia.

In Decima parte.

Contra duas epiſtolas Pelagianorum.

Contra Iulianum de gratia & libero arbitrio.
De conceptione & gratia.
De prędeſtinatione ſanctorũ & bono perſeuerantię.

In Vndecima parte.

Ad articulos Auguſtini falſo impoſitos, rhapſodia eſt neſcio cuius.
Contra Pelagianos ὑπογνωστικῶν.
De perfectione iuſtitiæ.

Reliqua cum iudicio lege. Nam qui liber eſt infima parte, de libero arbitrio, non probamus: & alicubi ſe torquet in quęſtione quinta, Vtrum deus mala faciat. Quod nos conſtanter adſerimus: & ipſe adſerit in libello de gratia & libero arbitrio.

In libro de fide & operibus quæris. Hæc uelim te proprie intelligere, quid nos, quid Paulus uocet fidẽ. Quoniã docet nos fide, nõ operibus iuſtificari. Nam ſcholaſticę diſputationes de fide, nihil huc faciũt. Habes aũt libellũ doctoris Martini Lutheri, de libertate chriſtiana, quem utinam ſemper in manibus habeas: unde quid fides, quid opera, proprie diſcere potes. Et ut ſummã huius doctrinæ tibi tradam, quod dicit Apoſtolus, fide iuſtificari nos, ſic intellige. Fides. Luther. de libertate chriſtiana.

Hyſtorica cognitio, qua certo ſcio, quod Chriſtus eſt deus & homo &c̃. Qualis eſt fides, qua ſcio certe, aut credo, quod Rhomæ aliquando regnarit Auguſtus Cęſar. Talis hyſtorica cognitio de Chriſto non iuſtificat. Sic nancp impij credũt. Sic dęmones quocp

credunt. De hac fortaſſe uult intelligi Iacobus in ſua canonica.

Fiducia in Chriſtum

Aſsenſus, ſeu fiducia in promiſſionē diuinā, quod Chriſtus pro me datus ſit, quod Chriſtus mea deleat peccata, quod Chriſtus uiuificet me, hęc fides eſt illa Euangelij quę ſola iuſtificat: id eſt, hæc ſola reputatur nobis a deo pro iuſtitia. Opera quantumuis uideanť bona, pro iuſtitia non reputantur. Sed quia illa fides nos Chriſto incorporat & inſerit, ideo iuſtificamur: id eſt, ideo nos uult reputare pro iuſtis. Sic pulchro exemplo rem agit Apoſtolus in Galathis. Deus promiſit nobis iuſtitiam & uitam per Chriſtum. promiſſum credit. ergo non niſi per fidem iuſtificamur. Iam ut hominū teſtamentis nihil licet detrahere: ita neq; dei teſtamento. Deus aūt legauit credentibus, nullo operum reſpectu, etiam gratis uitam. Ergo non per opera imputatur iuſtitia. Tu lege Galathas diligēter, & caput.x.ad Ro. Item quartū Cogita apud te, quomodo ſis conſcientiam tranquillaturus per fidem. Sic Paulus inquit Ro.ix. Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus erga deum.

Iuſtificatio Euangelica.

Videbat Auguſtinus, tantum fidem requiri, hoc eſt, hyſtoricam confeſſionē de Chriſto, & non explorari eorum uitam qui ex animo credant, nec ne. Nam illa hyſtorica cōfeſſio, eſt ſimulatio ſine fiducia in corde. Et ubicunq; nō ſunt bona opera, certe ibi non eſt fides, ſed impietas. Vide quid Auguſtinus dicat in li

Hyſtorica confeſſio.

bro de fide &operibus. Niſi precedat fides,bona uita ,,
ſequi non poterit. Quicquid enim homo uelyti rectū ,,
fecerit,niſi ad pietatem quæ ad deum,referatur,rectū
dici non poteſt. Ecce bonam ſententiam de fide. Sed
quid multa? Auguſtinus tenuius loquitur de fide in
toto iſto libello,& in plæriſq; alijs melius. Voluit em̄
cauere hoc apud uulgus periculum; quod ſi diceretur
fide iuſtificari ſola, putare uulgus, credentibus quid-
uis licere. Quia fidem uulgo nō pro fiducia in deum,
ſed pro hyſtorica tantum cognitione in deo ſolemus
uſurpare,idq; pernicioſe. Vbi tamē ipſe proprie quid
ſit fides, ex canonicis ſcripturis diducens, poteris de
doctorū ſcriptis iudicare ſanius. Vide.3. caput Ioan.
De fide Chriſtus ipſe concionatur. Porro,quod alias
etiam opera precipit,bene,ſed ea niſi in credente non
fiunt. Breuiter. Doctrina Euangelij de fide, eſt conſci- *Epilogus.*
entiarū conſolatio & confirmatio. Quod ſi eo reſpe-
xeris,fidem itelliges. Sed non ſcribo commentarium,
fortaſſis hec ipſa breui locupletius acturus. Tu lege li
brum de libertate chriſtiana Lutheri, & ne patiare te
auelli a doctrina crucis. Scio rideri eam a Sophiſtis; ,,
ſed tu ſcias prædicari Euangelium,ſtultitiā eſſe mun- ,,
do. VALE.

Eſt libellus inter Ambroſianos non inutilis, cuiuſ-
cunq; authoris (non enim Ambroſij eſt) de uocatiōe
Gentium,quem tu lege. Iterum uale.

MARTINVS LVTHERVS, VVOLFGANGO FABRITIO CAPITONI S. D.

QVANTVM LITERAE CARdinalis tui animum meum erexerunt, tantum tuę deiecerunt, mi Fabrici. Deijcit forte & uultum tuum exordium hoc triſte & ingratum: ſed tua culpa, qui & fidem & authoritatem literis Cardinalis tam intempeſtiua rhetorica ademeris. Inter multa enim quę mouerunt, hoc erat unum: quod ſcribis te iuuandarum Euangelij partium, diuerſam a nobis inijſſe rationem. Hoc enim quid aliud eſt, quã aut tuam, aut noſttam rationem damnabilẽ eſſe? cum neceſſe ſit miniſterium ſpiritus ſibijpſi quam minime pugnare. Paulus enim eiuſdem ueſtigijs Timotheum
j.Cor.iiij. incedẽtem, Corinthijs cõmendat. Atq; ego quidem, pro meo in te candore, uerbum hoc diuerſitatis lenijſſem, niſi tuipſe tuus interpres, coegiſſes ſic intelligendum eſſe; Euangelium tũc promoueri, ſi Principibus conniueatur, parcatur, eorum facta excuſentur, & (ut tua uerba ſonant) ne pugnam procaces prouocemus. Hęc tua ratio eſt: quę iuxta noſtrã rationem, pulchra adulatio eſt, & ueritatis chriſtianę abnegatio eſt. Ego nec inimicis optarim hunc animum probari: tantum abeſt, ut optem hac ratione iuuari Euangeliũ, ut nihil

uehementius deprecer. Et faxit CHRISTVS, non ut
nihil promoueas, ſed ut ſeruet te nobiſcum, ne noce-
as. Manſuetudinem & benignitatem exigis, ſcio. Sed
quid chriſtiano, & adulatori? Res eſt aperta & ſimpli
ciſſima, chriſtianiſmus. Rem ſicuti habet, & agnoſcit
& fatetur. Male ualere uolũt etiam Gentiles eos ami-
cos qui uitijs amicorum blandiuntur: & ueritas Chri
ſti uitijs & impietati ſimul blandiri poterit? Nos autẽ
tibi noſtram quoq; rationem exponemus, & cum fi-
ducia ſub iudicium tuum & orbis proponemus: nihil
ueriti, quod ſcribis offendi multitudinem mordacita-
te. Quem enim non offendebat Chriſtus? aut quem
non arguebat? Et ſpiritus ueritatis arguit, non blan- *Spiritus.*
ditur. Arguit uero non aliquot, ſed totum mundum.
Igitur nos ſic ſapimus, omnia prorſus eſſe reprehen-
denda, arguenda, confundenda: nihil parcendum, ni-
hil conniuendum, nihil excuſandũ: ut medio ſtet cam
po, & libera & pura & apta ueritas. Porro aliud eſt, *Charitas.*
quos corripueris ſumma manſuetudine ſuſcipere, to-
lerare, inuitare. Hoc iam ad charitatis & officij exem-
plum pertinet, nõ ad miniſteriũ uerbi. Nam & Chri-
ſtus cum omnes acerrime argueret, tum optat gallina *Mat.xxiij*
illis eſſe, & ſub alas colligere. Charitas om̃ia ſuſtinet, *j.Cor.xiij*
omnia ſuffert, omnia ſperat. Fides uero, ſeu uerbum,
nihil ſuſtinet prorſus, ſed arguit, deuorat, ſeu ut Hie- *Hierem.j.*
remias dicit, euellit, deſtruit & diſſipat, & maledictus *Ibi.xlviij*
eſt qui facit opus domini fraudulenter. Aliud eſt em̃

Fabritij uitium laudare, uel extenuare; aliud benigniter & ſuauiter curare. Primum omniū dicendum eſt, quid rectum, & non rectum ſit. Deinde, ubi auditor
Ro. xiiij. ſuſceperit, tolerandus, & ut Paulus ait, infirmus in fide ſuſcipiendus eſt. Tua uero ratio id efficit, ut nunq̃ ueritas agnoſcatur; & tamē interim blanditia & ficta humanitate præſumatur uitium ſanari. Sic impletur il
Hier. viij. lud Hiere. Et ſanabant cōtritiones populi mei. Et ite
Ibi. xxiij. rum. Confortauerunt manus malorum, ut non conuertantur unuſquiſq; a malitia ſua. Nec ſpero nos tales unq̃ fuiſſe, quibus charitas deſyderata, in ſuſcipiendis & tolerandis infirmis poſſit opprobari. Neq; deeſt manſuetudo, benignitas, pax, & gaudiū, ſi quis uerbum noſtrum probarit, & ſtatim non queat perfectus eſſe. Contenti eñ ſumus interim, agnouiſſe illum ueritatē, non reſtitiſſe, non damnaſſe. Quod deinceps agitur, charitatis eſt; quæ exhortatur, ut & faciat quod cognorit. Nam & ſi ex animo Cardinalis tuus has literas ſcripſiſſet, obſecro, quanto gaudio, qua humilitate nos pedibus eius prouoluti, dignos nō arbitraremur nos, qui puluerē pedū eius oſcularemur? Nonne & nos fex ſumus & peccati ſentina? Agno
Contemptus uerbi ſcat uerbum modo, & ſeruos nos præſtabimus. Porro ijs qui doctrinam ipſam & uerbi miniſterium aut damnant, aut contemnunt, aut ſubdole exequuntur, nulla gratia, nulla charitas, nulla benignitas. Quanq̃ & hoc ſit ſummæ charitatis, furori & impietati eorum

omnibus uiribus & modis reſiſtere. Si autem ex tua formatura (quod ſuſpicor) Cardinalis tuus, tam egregium hypocritã prǽſtitit, uides tuipſe, quod nihil nos mouere debeat. Sed neq; fallere nos poteritis. quando & satanǽ cogitationes non ignoremus, & ex uerbis ipſis tum iuſtificare, tũ damnare poſſimus quemlibet. Scribit Cardinalis tuus, ſeſe præſtiturum deinceps gratia dei, quod eccleſiaſticum Magiſtratum decet. Si hoc fide ſyncera dicit, & tu eum hoc non docuiſti, certe animus eius huiuſmodi eſt, qui laruam Cardinalatus, & pompam Epiſcopalem ablegare, & uerbi miniſterio ſeſe adcingere prǽſtituerit. At hoc, quanam ſuadela fore credemus? Impoſſibile eſt, ut ſic par uulam parochiam adminiſtrare potens ſit, ac difficile eſt, ut reſignet, & parochus fiat. Et quis (inquis) audebit hoc exigere? Reſpondeo. Et quomodo tu ſecurus eris, niſi ueritatem hanc cognitam ei feceris? Foue, & conniue poſtea, ſed primum hæc ei nota facito. Sciat, quó peccari, quo non peccari poſſit. Deinde ne peccetur, cooperare. Aut ſi peccarit, tolerato. Nõ autem tolerato, & conniueto, ſiue per chriſtianã, ſiue humanam modeſtiã, ſi impie errauerit. Hoc enim facit crudelis adulatio, quæ fingit modeſtiã ſiue chriſtianam, ſiue humanam. Iam uero quomodo & hoc uerum eſſe credam, quod & tu ſcribis, ſacerdotem uxorium liberatũ, & ille ſcribit cauſſas ſcribendi libelli mei iamdudum ſublatas e medio? Pulchra liberatio, quaſi nõ Modeſtia

potior fuiſſet ei occiſio. Abiurare coegiſti uxorculam aduerſus conſcientiam: de quo nunc dolet. Obſecro, aut tentatis etiam ſpiritum ſanctum? Nonne perſeueratis in odio ſacerdotalis coniugij, donec non reuocatis exactam abiuratione̅, & diuortij facti uiolentiam? Scortum inquis, erat, rhetor optime. At hoc prius explorandum fuerat. Iam, ut maxime ſcortum fuerit, cur in hunc unum inſanijſtis, & proſtibula ueſtra Halberſtadiana, Moguntina, & Magdenburga, aliaq; innumera clauſis auribus perpetuo tranſitis? Vides tuam Rhetoricam nihil eſſe, Fabrici? Certe ubi co̅fitebatur uxore̅ eſſe, uos quieſcere oportuerat: aut Paulu̅ confutare, qui doctrinam dæmonioru̅ uocans, clariſſime damnat iſtum cœlibatum. Quod ſi mentiretur uxore̅ eſſe, periculum eius erat, uos ſalui eratis. Iam quod periculu̅ diuortij cauſſaris in iſto nouo coniugio, ſi pertęduerit moleſtiæ uxoriæ, arbitror & ipſum non ex animo a te dici. Quid enim hoc ad doctrinę pietatem, q̃d mali bonis male utuntur? Nos a uobis non exigimus, ut coniugia pręſtetis omnibus moleſtijs libera, ſed tantum, ne doctrinam eius & exempla damnetis. Nos nihil de ſacerdotum coniugio promittimus, niſi quod autoritate dei liceat ſacerdotes eſſe coniuges. Prępoſitus Kembergen̄. uir eſt, in quo nihil poſſis no̅ laudare, tantu̅ abeſt, ut leuitatis argui poſſit. Niſi forte ideo leues erunt, quia tu metuis leues fore. At ad metum tuum, uel ſpem noſtra̅ nihil ſequitur, uel non

Coniugiu̅ ſacerdotale.

i. Tim. iiij.

Præpoſitus Kembergen̄.

ſequitur in factis hominum, nedum in uerbis dei. Ali
oqui nihil diuinorum pręceptorum nos hic metus ſi-
net tentare. Vides mi Fabrici, quantis argumẽtis ego
uexer, ne credam Cardinalẽ tuum ex animo hæc ſcri-
bere. Taceo deniq; tyrannidis illud eximię, qua An- Andreas
dream Kaugſdorffium, Magdeburgẽ. ſuggeſtu cum kaugſdorf
tanta ignominia ſubmouerit, uirum, cui uix ſimilem
ſub ſua ditione habeat tuus Cardinalis. Nec uos ad-
huc iſtius pœnitet. Obſecro te mi Fabrici, eum exigis
LVTHERVM, qui ad omnia ueſtra conniueat, ſolis
literis blandiuſculis palpatus? cũ ſint tam infanda quę
uos molimmini: & non eſtis contenti, quod parati ſu
mus ignoſcere & tolerare per charitatẽ. Quin expo-
ſtulatis, ut iuſtificemus quoq;, hoc eſt, ipſam doctrinã
abnegemus per impietatem. Satis, & plus quam ſatis
tentatis me, optime Fabrici. Et ego ſatis, & plus quã
ſatis benigniter reſpondeo: cum longe ſeueriorem re
ſponſionẽ merueritis, qui non modo nõ facitis, quod
toties luditis & irridetis fucis, ſicuti uobis uideť egre-
gijs, ſed ſicut ego uideo, inſigniter ineptis. Nos do-
ctrinam pietatis tuebimur quãtis uiribus poſſumus,
offendat ſiue cœlum, ſiue tartarum. Habes itaq; LV-
THERVM, ſicut ſemper habuiſti, obſequentiſſimum
mancipium, ſi modo pietatis amicus fueris. Rurſus
egregium contemptorem, ſi perrexeris cum tuo Car
dinali ludere in re ſacra. Summa eſto. Charitas no- Summa.
ſtra pro uobis mori parata eſt. Fides uero ſi tangiť,

Charitas. tangitur pupilla oculi noſtri. Charitatem expoſitam
Fides. habetote omnibus, ſiue ludibrijs, ſiue honoribus. Fi-
Verbum. dem, & uerbum adorari a uobis uolumus, & ſanctum
ſanctorum haberi. De charitate noſtra nihil non prę-
ſumite, fidem uero noſtrã nuſquam non timete. Car-
dinali tuo non reſpondeo, quod medium iter non po
tuerim tutus incedere, neq; laudare, neq; uituperare,
ſiue hypocriſim, ſiue ſynceritatem. Ex te autem intel-
liget Lutheri ſpiritum. Et ego, ubi de ſynceritate cer-
tus factus fuero, me totum non differam effunde-
re & profundere ad pedes eius. Vale mi Fabri-
ci, & animum meum ne dubita candidum
eſse in te. Res ipſa ſicut uides, magna
& ſacra eſt, cui nos decet accom-
modare: ne forte fratres aut
ſorores plus diligamus,
quam CHRISTVM.

Ex eremo mea,
die Antonij
M.D.XXII.

822.3
Z
99 95.2359

822 3